sumus per parvum ostiolum, quae stat ad caput chori ecclesiae magnae. Pavimentum (58 a) etiam illius capellae fuit pretiosis tapeziis stratum et parietes tabulaturis pretiosis et politis obducti et multis lampadibus erat illustrata et omnia erant valde ornata, devota et pulchra in hac capella. Nam ibi est locus, ubi stetit ille mirabilis rubus Moysis, quem vidit ardere et flammas ex eo in altum consurgere et tamen nullo laedebatur incendio, ut habetur Exod. 3. Mirabilior tamen fuit hujus visionis adimpletio, quando Maria, rubus utique virens, florens et redolens, fuit inflammata et impraegnata divino igne, cujus tamen virginitas nullum passa detrimentum. De hac sancta ecclesia canit: Rubum, quem viderat Moyses incombustum etc. Hanc antiphonam etiam ibi cantavimus et ad locum rubi inclinati devotius ipsum deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Sub altari etiam est locus, ubi stetisse creditur rubus, et in pavimento est lamina de aurichalco, in qua insculpta est figura rubi flammantis et Moysis sedentis seque discalceantis. Super locum multae lampades pendent, quia in magna veneratione locus ille ab omnibus habetur. Sarraceni et Arabes et Turci ad hunc locum petunt magna instantia admitti et admissi nonnisi nudis pedibus ingrediuntur. Judaei libentissime ingrederentur, sed non intromittuntur. Singularis devotionis est ille locus omnibus Christianis orientalibus et occidentalibus, a quo tamen orientales nos occidentales excommunicaverunt quoad divinum officium et Missas, non enim admittunt nos ad celebrandum Missas in dicto loco sacro, dum altare capellae illius sit Graecorum, qui nos nullo modo in aris eorum celebrare permittunt. De hoc rubo facit mentionem Dominus Marci XII. Apparuit autem Dominus Moysi in rubo, ne Judaei inde sibi idolum sculperent, ut dicit glossa Exod. 3. Est autem rubus condensitas spinarum vel arbor spinosa cum rubeis fructibus, vocata Hagdorn.

Expediti in capella rubi in capellam aliam S. Jacobi transivimus et in ea orationibus dictis indulgentias recepimus (†). De illa capella in capellam S. Anthipiti ingressi sumus et ibi adorato Domino indulgentias recepimus (†). Post illam ingressi sumus capellam S. Hyrinae virginis, in qua etiam pro

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;